



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1845

CX. Arnold von Lüderiß, geannt von Jagow, verkauft seinem Bruder
Wasmuth Hebungen aus Buchholz, am 14. Gebr. 1328.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54414](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54414)

CX. Arnold von Luderitz, genannt von Jagow, verkauft seinem Bruder Wasmuth Hebungen aus Buchholt, am 14. Febr. 1328.

Ego Arnoldus de Luderitz, dictus de Jaghowe, famulus, — profiteor recognoscens, quod dilecto meo fratri, domino Wasmodo de Luderitz, Stendalensis Ecclesie Canonico, de decima, quam ego et mei heredes cum dilecto meo fratre alberto milite et caro meo fratruale thiderico famulo, dictis de Luderitz, in uilla bucholt possessorie habebamus, meam et meorum heredum partem vendens rite dimisi et in dicta decima ius, quod michi competit et meis heredibus competere posset quaecumque, una cum viginti pullis in dicta uilla bucholt tollendis libere annuatim, Renuncians omni antedictae decime et pullis et omni Juri, quod mihi aut meis heredibus in indictis decima et pullis in posterum contingere posset aut successoribus quibuscumque. Et ut ista vendicio, renunciatio et dimissio in perpetuum integre conferretur et ante prefectum et villanos ibidem in uilla bucholt coram iudicio notificata et presenti littera munita, meo Sigillo stabilita, presentibus etiam testibus honorabilibus viris domino decano sancte marie in halberstadt, Alberto de Luderitz milite, meis fratribus, et bussone de bruncowe famulo et prefecto in bucholt et pluribus aliis fide dignis, Datum anno Domini M^o. CCC^o XXVIII^o, in die valentini.

CXI. Heinrich von Rochow verkauft dem Dechanten zu Stendal Besitzungen in dem Schulzenamt des Dorfes Niendorf, am 7. Septbr. 1329.

Nos Hinricus de Rochowe, in Berghe residens, necnon Wychardus, Bethekinus et Johannes fratres eiusdem cognominis de Rochowe, Recognoscimus publice protestantes, Quod honorabili viro, domino Frederico de Oftheren decano stendalensi, Avunculo nostro dilecto, iusto contractus titulo pro numerata pecunia videlicet XIII marcarum vendidimus omnia, que Nyendorp in curia scultheti et ejus officio habuimus cum omni jure, quo ipsam curiam suis libertatibus longis temporibus pacifice possideramus et quiete, Itaque quod dictus dominus Fredericus de predicta curia et suis attinentiis disponere valeat libere et donare, et testamentarii sui de ea ordinare poterint pro libito voluntatis. In quorum evidentiam sigilla nostra presentibus duximus apponenda. Presentibus honorabilibus viris domino Johanne de Belin, domino Wasmodo de Luderize, Canonicis in Stendal, Alberto de Luderize milite ac pluribus aliis fide dignis. Datum Goltzowe, Anno domini M^o. CCC^o. XXIX^o. in vigilia Natiuitatis Beate virginis gloriose.

Das Siegel Heinrichs mit 3 Rochen, die beiden andern jedes mit einer Roche.

CXII. Heinrich von Rochow verkauft dem Dechanten und einem Domherrn Besitzungen im Schulzenamte des Dorfes Niendorf, am 7. Sept. 1329.

Ego Henricus de Rochowe, residens in Berghe, recognosco publice protestando, Quod honorabilibus viris dominis Frederico Decano et Conrado Canonico ecclesie Stendaliensis, fratribus dictis de Oftheren, avunculis meis dilectis, iuste vendicionis titulo pro numerata pecunia